

100 DISSERTATIO SECUNDA
RITATEM, doctiorumque prudentiam,
& PER CONCILIA, licere reprehendi,
si quid in eis fortè à veritate deviatum est. Et ipsa CONCILIA, quæ per
singulas regiones vel provincias fiunt,
PLENIORUM conciliorum autoritati,
quæ fiunt ex universo orbe Christiano, si-
ne ullis ambagibus cedere, ipsaque PLE-
NARIA sæpe PRIORA POSTERIO-
RIBUS EMENDARI, cum aliquo expe-
rimento rerum aperitur, quod clausum
erat, & cognoscitur, quod latebat, sine ul-
lo typho sacrilegæ superbiæ, sine ullâ in-
flatâ cervicæ arrogantia, sine ullâ conten-
tione lividæ invidiæ, cum sanctâ humili-
tate, cum pace catholicâ, cum caritate
Christianâ. Hæc ille, & similia alibi ipse
& alii veteres Orthodoxi. *Hactenus Admo-
nitio Neustadiana.*

LXIV. *In eandem sententiam gravissimè Cal-
vinus Institut. lib. 4. cap. I. §, 12.* Non unius
sunt formæ, inquit, omnia veræ doctrinæ
capita. Sunt quædam ita NECESSA-
RIA cognitu, ut fixa esse & indubitata o-
mnibus oporteat, ceu propria religionis
placita: qualia sunt unum esse Deum, Chri-
stum Deum esse, ac Dei filium: In Dei
misericordiâ salutem nobis consistere, &
similia. Sunt alia, quæ inter ecclesias
CONTROVERSA, fidei tamen unita-
tem non dirimant. Quæ enim ob hoc
unum